

**V**ATERVS annis et meritis grauis,  
Terras relinquens, nominis incluti  
Fama superstes est manetque,  
Dum medicae decus extat artis.

Deproperab.

D. I. F. WEIDLER  
P. P.

**Q**uanquam longævus, vitæque saturque dierum  
Ad coeli transis gaudia, linquis humum;  
Non tamen et nobis satis, heu! vixisse videris,  
Debueras ægris longius esse pater.  
Fundit & has moerens Academia nostra querelas,  
Debueras porro Tu pater esse mihi.  
Quis mihi, quis tandem nunc amisso patre tutor?  
Quæ fleo tot claris insuper orba viris.  
Sint satis hæ lacrimæ, planctus compescite, non nos  
Hunc vixisse satis dicere posse putas?  
Qui talem linquit natum, nullumque reliquit,  
Ex merito quem non scanderet ipse, gradum.

Beatissime defuneto, multis meritis insigni, ordinis sui decori,  
humanitatis exemplo moestus dabat

**JOHANNES MATTH. HASIVS,**  
Mathem. Prof. P.

**E**st aliquid sanare aegros, morbisque mederi,  
Tollere pestiferam Paeonis arte luem.  
Attamen o! miseros homines, quam fluxa facultas  
Vestra est, quamque parum vos medicina iuuat.  
Ars sua destituit medicos; nescitque tueri  
Mortis ab extremo succus et herba die.  
Nec TIBI, qui multis olim, VATERE, salutem  
Reddideras aegris, parcere fata volunt.  
Sed moreris, multo senio confectus et annis,  
Et requiem, vitae post mala multa, capis.

Felix.